 בֵּאלֹהִים׃

ΤΗΣ ΤΡΙΣΑΓΙΟΥ ΤΡΙΑΔΟΣ ΕΠΙΠΝΟΥΣΗΣ:

POSITIONES MEDICÆ

De vitâ producendâ, & reparanda iuuentute.

NEC NON

ΑΜΒΙΣΒΗΤΗΜΑΤΑ ΚΑΙ ΕΠΙΜΕΤΡΑ,

ἔργα, πάρεργα,

ἔνδοξα, παράδοξα, ἐπρόδεξα,

ΙΑΤΡΙΚΑ ΚΑΙ ΧΕΙΡΟΥΡΓΙΚΑ.

QVÆ

Consensu, approbatione, & Authoritate
Amplissimæ Facultatis Medicæ
 CollegI Basileensis

PRO

Gradu DOCTORATVS, *eiusdemq́; insignijs, & Priuilegijs in S. S.* MEDICINA *consequundis*
GenI & ingenI exercitamentum

PROPONIT

IOANNES GVOLFFGANGVS KRAPFFIVS MOGVNtinus, L.L. Art. & Philosoph. Magister.

 In Lycæo Iatrico ad 27 Aprilis.

Rectore Magn. Dn. Iacobo Zuingero, Med.D. clariS.
Decurione Spect. Dn. Thoma Coccio, Med.D. experientiS.

Psal. 102.

תִּתְחַדֵּשׁ כַּנֶּשֶׁר נְעוּרָיְכִי׃

Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.

Basileæ, è Typographeio Conr. Waldk. ꝏ DCVII.



ÆTERNO

Totius Vniuerſi
Monarchæ
IEHOVÆ TRINVNO

Potentiſſimo, Immenſo, & vitæ indeficientis Parenti

TEROPTVMO MAXVMO



Hanc de vitâ producendâ, & renouanda iuuentute Diſputationem,
TIMORIS, AMORIS, ET LATRIÆ SYMBOLVM
Triſagio illius Numini, Maieſtatiq́ deuotiſſ.
ortu ſeruus, adoptione Filius
Fideliter, humiliterq́
repræſentat.

POtentiſſime DEVS, Fons & Scaturigo Vitæ indeficiens, ecce vix guttulam vitæ proponimus: Eam quisquis aliunde, quàm à te haurire nititur, vndas ex ſicco expoſtulat pumice. A te principium ſumo, tu hiſce digneris præeſſe Poſitionibus, Spirator & Inſpirator indeficiens, Doctor & Præceptor Immenſe, qui me indignum ab æterno, ſolâ tuâ benignitate, & immensâ Bonitate, me ignorante, ad hoc Medicum vocaſti Brauium, moras trahentem expectaſti, collabentem erexiſti, infirmatum confortaſti, atq; nunc ad id ipſum, me immerentem, feliciter perduxiſti: ideoque tibi, TRINVNE DEVS, Mæcenas liberaliſsime, ecce Plantæ, quam ſeruiſti, Floſculum, ecce ARBVSCVLAE, quam plantaſti, fructum: Cedant hæc, cedant omnia in tui Gloriam.



REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DN. IOANNI SVICARDO, SANCTÆ Sedis Moguntinæ Archiepiscopo,

Sacri Romani Imperij per Germaniam Archicancellario, Electori Principi, &c. Domino & Fautori suo gratiosissimo.

Accipe Reuerendissime & illustrissime PRINCEPS, *Domine Clementissime, Deuoti animi mei voluntatisq́; in Illustriss. Celsitudinem tuam declarandæ, testandæq́; symbolum, inauguralem* De producendâ vitâ, reparandaq; iuuentute *disputationem. Lusit quidem fateor meus (nescio an sat benè) Genius, Genius inquam vt ingenium exerceret: Ita tamen lusit, vt eum qui præcepta hæc obseruabit, fructum non omnino nullum inde reportaturum existimem. Hunc igitur Partum Medicum, si hac facie, si hoc habitu satis comptè in scenam prodit, tuo, post* DEVM, *honori consecro. Agnosco equidem Ill. Princeps hoc depositum indignum vmbrâ virtutis & sapientiæ Celsitudinis tuæ, si statum, ingenium & artem Auctoris ponderes, quæ omnia sunt exigua: veruntamen haud ignoro eam in Ill. C. T. splendescere iudicij integritatem, vt non tam muneris spectet amplitudinem, quàm egregiam contribuentis voluntatem. Quamobrem habent Theses hæ, opinor, quod sibi placeant, nec id, quia vmbilicis exeant auro nitescentibus, sed quod in vestibulis suis præclarum cernant stare* HEROEM, *à cuius Maiestatis splendore plurimum Authoritatis & Gratiæ sint consecuturæ. Quod reliquum est, Ill. P. si quæ è speculationum al-*

titudine, si quæ è negotiorum multitudine dantur feriæ, peruelim altero saltem oculo, vel ῥαθυμότερον, hasce Theses meas Ill. C. T. respiciat quandoque: sed ita vt virgulæ Aristarchi parcendum censeat. Et quanquam hoc nomine iure meritissimo temeritatis agi posse mecum adverto, vt qui Psyricis hisce & Quisquilijs meis Illustri S. Celsit. Tuam ineptius obstrependo, auocandoq́ue, videar interpellare: Etenim scitum illud est, Muscas ab Aquilâ non cerni. *Et:* Quis agat in scena, spectante Roscio? *Cogitet tamen velim, multas gentes Dijs lacte & molâ quandoque salsâ litare, quæ thura non habent. Quod enim in hoc ætatis meæ cursu χάριτος proferrent χαριστήριον, neque aliud, neque maius habebant. Quare etsi Ill. C. T. eminentissima semper consectetur, nihilominus exigua hæc studiorum meorum πρωτοπειρία ne reijciat: sed vultu benigniori, quàm eorum tenuior exigat genitura, acceptet. Quæ tanto refertissima munimine securius prodeuntia, Ill. C. Tuæ nominis patrocinio micantius sese omnibus oblata patebunt. Id igitur Illustrissima Celsitudo tua, innatâ illâ animi serenitate, pusillum equidem, at mei in Ill. C. T. affectuosi ancillatus insigne non immeritum munusculum accipiat*

Ζεὺς μέγας ὡς ὀλίγῳ πειθόμενος λιβάνῳ.

Ex Athenæo Rauracorum, idibus Aprilis, Anno Christiano ∞ DCVII.

ReuerendiS. & IllustriS. Celsitud. T.

subiectissimus

Ioannes Guolffgangus Krapffius Mogunt.

POSITIONVM BREVIS
DISPOSITIO
PARTIS PRIMÆ.

De vita producenda χρηματισμός.



De reparandâ iuuentute

Typus.

Pars secunda agit de reparanda iuuentute: cuius partes

- 1.Procœmium & scopi,Thesi 22.
- 2.Pharmacia.
  - 1.Humorē naturalem
    - Purgantia
      - Externa,Thesi 23.
      - Interna,Th.24.
    - Corroborantia,Th.25.
    - Reficientia,Th.26.
    - Conseruantia,Th.27.28.
  - 2.Calorem innatum renouantia,Th.
    - 29.
    - 30.
    - 31.
    - 32.
    - 33.
  - 3.Faciei nitorem restituentia,Th.34.
- 3.Diæta.
  - 1.Aer,Th.35.36.
  - 2.Cibus.
    - 1.Quantitas,Th.37.
    - 2.Qualitas,Th.38.
    - 3. Quænam potissimùm in cibum adhibenda,Th.39.
    - 4.Locus vbi viuendum,Th.40.
  - 3.Reliquæ res non naturales,Th.41.
  - 4.Venus & animi labores,Th.
    - 42.
    - 43.
    - 44.
- 4.Reparatio spirituum,Th.
  - 45.
  - 46.
  - 47.
- 5.De annis climactericis,Th.48.
- 6.De imaginibus & sigillis,Th.49
- 7.Corollarium.

POSI-

POSITIONES MEDICAE De producendâ vitâ, & iuuentute reparandâ,

PARS PRIMA.

De producendâ vitâ

POSITIO PRIMA.

VITAM longam non solùm ab initio semel fata promittunt, sed nostra etiam diligentia præstare eandem potis est. Testantur id Astrologi, confirmant experientiâ Medici: sic Herodicus quidam literarum studiosus, omnium sui temporis infirmissimus, vt testantur Plato & Aristot. eiusmodi prouidentiâ annum ferè centesimum impleuit. Visum est itaque præcepta quædam ingenijs scientiæ cupidis, ad vitam diuturniorem conducentia proponere, ita vt quod alij tradiderunt latiùs, nos in compendio succinctè perstringamus, ea ratione, vt necessarij nihil intermittamus, superflui nihil omnino admittamus. Quæ sanè non ignauis, nec hominibus perdita voluptatum libidine dissolutis, qui breuem quotidie voluptatem, longæ vitæ stulti anteponunt: nec improbis volumus patefieri, quorum vita mors est bonorum: sed viris duntaxat prudentibus, atq; temperatis, solertis ingenI viribus humano generi, vel priuatim, vel publicè profuturis.

Quæritur:

Cur hoc nostro sæculo homines breuius viuant, quàm Adami Protoplasti tempore?

POSITIO SECVNDA.

Vita formaliter coniunctio est animæ cum corpore:

coniunctionis eius nexus & vinculum, calor naturalis est in humido radicali. In calore vita, tanquam lumen consistit, caloris pabulum humor est aereus, & instar olei pinguis. Qui humor si deficiat, caloris naturalis debilitate mors RESOLVTIONE contingit: si obruatur calor humoris excessu, vel vitio, vita SVFFOCATIONE (quæ vel exundantiâ, vel putrefactione, præsertim à pituita, vel excrescente, vel putrefacta contingit) perit. Eapropter præcepta ad vitam producendam, hinc caloris suffocationem, inde humoris resolutionem æquè deuitent.

Aequamentum:

Vtrum optimo temperamento debeatur longissima vita?

POSITIO TERTIA.

Calor insitus animæ ad naturalis facultatis functiones obeundas instrumentum vnicum cùm sit, assiduò in eodem robore, in eodem vigore conseruandus est. Conseruatur autem duplicis alimenti beneficio: quorum alterum formale est, alterum materiale. Formale Calor influens est, qui insito vnitus, deducit eum de potentia ad actum, eiq; vitam dat, ac vitalem insuper operationem: Materiale alimentum est Humidum radicale, quod ipsum sanguine in iecore attenuato nutritur. Cùm igitur calor naturalis conseruetur ex sanguine, ac eiusdem caloris naturalis assidua fiat resolutio: necessarium est eam ob causam, vt ipsam assiduo reficiamus, vtq; ei continuum subministremus alimentum, nempe assiduum sanguinem attenuatum. Vt autem istud subministretur assiduum alimētum calori naturali, necessarium fuit vehiculum quoddam, quod tenuius esset, cùm vehiculum sit. Hoc autem aliud nihil est quàm naturalis spiritus in iecore genitus, non ex sanguine attenuato, sed ex vapore sanguinis.

Quæritur:

Quæritur:
Vtrum Parentes protoplasti esu fructuum vitalis arboris florem iuuentutis perpetuò retinere potuissent?

POSITIO QVARTA.

In humido substantia, quantitas, & qualitas spectantur: Hinc humidum quo maius, & simplicius, quanto maiori copia, quo magis temperatum & calori iunctũ, temperato potius quàm excedenti: quo fluidum minus & aquosum; sed potius permanens ac viscidum, eo profectò animal vitæ erit diuturnioris. In id igitur incumbemus, ut caloris insiti, Humidi radicalis, & spirituum causas, tum destruentes, tum conseruãtes, tum demum reparantes tradamus.

Quæritur:
An certum longæuitatis signum è dentium robore desumi possit?

POSITIO QVINTA.

Quæ humorem naturalem citiùs exiccãt, & calorem destruunt natiuum, hæc ferè sunt: Siccior, simulatq; feruentior aer, præsertim igne calescens, ventus aridior & diuturnior, calidorum siccorumq; nimius vsus, fames infestãs, sitis anhelosa, sanguinis fluxus vberior, violenta alui solutio, eademq; diuturna, profusus sudor, pori plus reserati, in Paphum frequẽs nauigatio, vigiliæ longæ, nimius animi corporisq; motus, anxietas, ira, dolor, tristitia, &c. Humorem supra modum augent his contraria. Vtrumq; præstat Ebrietas frequens, nimia enim caliditate siccat, humore suffocat ebriosum: vti & cruditas. Vbi enim non coquitur alimẽtum, hinc quidem deest, quo naturalem irriget humorem, inde verò putrefactum superest, quod exundans insitum obruat calorem.

Παράδοξον.

Homo longo tempore ſine cibo viuere poteſt.

Positio Sexta.

Vt nexus ille corpus inter & animam conſeruetur diutius, Aer in quo verſamur, tēperatus ſit, ad calidum potiùs & ſiccum, quam humidum & frigidū declinans: τῶν δὲ καταστασίων τοῦ ἐνιαυτοῦ τὸ μὲν ὅλον οἱ αὐχμοὶ τῶν ἐπομβρέων εἰσὶν ὑγιεινότεροι, καὶ ἧσσον θανατώδεες 3. aph. 15. & Ariſtot. ſect. 1. probl. 22. ὑγρὰ τὰ σώματα ὄντα πολὺ ἔχει τὸ περίττωμα, ὅ ἐστι τῶν νόσων αἴτιον. Habitatio lucida ſit, nam ſub vmbra ſitum cariemq; obducimus, ſub dio, ſub lumine viuimus; ideoque potius ruſticis exercitationibus, quàm vrbanis incumbendum negocijs: Alta ſit, orientem potiùs & meridiem, quàm ſeptentrionē ſpectet, nam craſſum occidens, oriens tenuem ſubtilemq; reddit aerem: & auſtrales plagæ calidiores ſunt, frigidiores verò aquilonares. Quòd ſi regiones humidiores, immundæque colendæ, & alimenta minimè duratura ſumenda ſint, is poterit obſeruari victus, quem Medici ſub aere præſcribunt peſtilenti.

Παράδοξον.

Flos iuuentutis conſeruari poteſt quoad vires, figuram & ſtaturam corporis.

Positio Septima.

Cibi ſint Euchymi, qui ſanguinem generent non igneum, non aquoſum, ſed aereum, atq; hunc non craſſum, qui facile in aquoſum tranſeat: non ſubtiliſſimum qui facile igneſcat, ſed mediocrem, qui vnà cum ſubtilitate habeat firmitatem. Id ferè Triticum electum, & inde confectus panis inprimis habet, habent & nuclei pinei, piſtacei, ſuccus glizirrhizæ, & amylum additis amygdalis dulcibus. Atq; idipſum etiam habent carnes, non quæ humidæ ſunt, & laxæ, vt ſuillę, & agninæ lactantes,

tes; nec quæ duræ & ſiccæ, vt leporinæ vetuſtiores, bouinæque: ſed quæ tenuêre medium, vt gallinaceorum, pullorum, caponum, pauonum, phaſianorum, perdicum, capreoli, vitulique iuuenes, anniculi verueces, pariter atq; apri, nec hædos lactantes ſpernimus, recentemque caſeum, gallinæ, perdicis, vel phaſiani vitellum oui vnà cum albo, vitellus namq; ſolus delicatorum eſt nutrimentum. Et ſi ſtomachus fuerit robuſtus, proderit anſeres nutrire ſpeltâ & aquâ nitidâ, ac poſt necem carnes ſale, & coriandris aceto præparatis cōditas, dies ſeptem ſeruare prius quàm edas, ceruumque ſimiliter. Probabile eſt etenim lōgæua quædam animalia, ad vitam conferre diuturniorem: ſi tamen huiuſmodi carnes iuuenes comedant. Similiter & aliæ carnes viciſſim nunc aſſæ ſint, nunc elixæ.

Quæritur:

Vtrum ciborum varietati ſimplicitas præferenda?

POSITIO OCTAVA.

Id hoc loco obſeruandum eſt, vt animalia, quæcunq; in alimoniam diuturnioris vitæ ſtudioſi transferenda ſint, mundis, electiſq; alimentis, antequam veſcatur, nutriantur. Sint item ea ipſa, vt & alia omnia, in paſcuis altioribus, & odoriferis enutrita. Et vt omnia in compendium trahamus, animantes, herbæ, poma, fruges, vina, & quæcunq; in nutrimentum cedent, ex altis odoriferiſq; regionibus eligantur, quas venti temperati ſerenant, blandi ſolis radij fouent, vbi aquę nullæ ſtagnant, culta ſterquilinio non putreſcant, ſed humore natiuo luxurientur: vbi etiam quæcunq; naſcuntur, diu permanent incorrupta. Hic duntaxat habitandum, hîc quoq; naſcentibus veſcendum. Neq; enim facile ſperandum eſt ex alimentis, quæ breui putreſcunt, humorem nos comparaturos diuturnum, & à putrefactione remotū,

nec ſane arbitremur diu nos ibi victuros, vbi terræ fructus incorrupti diu non conſeruantur, vbi rarò admodum homines ſunt longæui.

Παράδοξον.

Mors euitari poteſt, ſed non in perpetuum.

Physικῶς loquēdo, ſiue de cauſis mortis extrinſecus intelligamus, vt ſunt ex vulnere, caſu, venenis, quæ præcaueri poſſunt & euitari: ſiue de intrinſecis, quæ ſanè dum vita prolongatur, & ipſæ euitantur. In perpetuum autem euitari non poſſunt, quoniam temperies corporis noſtri ex quaternorum ſeſe mutuò hebetantium elementorum contrarietate conſtat. Præter id quod ex Aegyptijs refertur cor hominis primo anno pondus habere drachmarum duarum: ſecundo quatuor: & inde pro curſu pari in annum quinquageſimum habere cētum drachmarum pondus, à quo decrēmenta rurſus ad æquilibrium ſupputentur, quæ ambitu peracto ad metam redeant eandem, nec ſupereſſe ſpacia vitæ eius viſceris dilapſu: ex qua ratione centum annorum hominum vitam circumſcripſerunt. De quibus latius Excell. D. D. C. Bauhinus in commentarijs ad libellum Hippocr. de corde propediem prodituris.

Positio Nona.

Cruditas vero gravis *Reſolutionis* ſimul & *Suffocationis* cauſa omni ſtudio euitanda; ideoq; oleum illud vitæ, illuuione omnino non obruendum: nec tamen potus ſitibundo differendus. Quod igitur huic paulatim abſumpto ſuggeritur, non ſolùm æquale ſit, ſed & ſimile. Vt verò ſit ſimile, non tantùm erit aëreum & pingue, ſed & ab omni penitus amurca ſecretum, id eſt à fece terrea & aquea craſſiore congeſta. Fiet id, ſi cibos nobis accommodabimus quantitate, qualitate, ſimplicitate, præparatione conuenientiſſimos, ieiunio famem revocante, non opprimente, quin, ſi ita opus fuerit, ſtomachi etiam exteriore fomento adhibito, atq; ſtypticis quibusdam

quibusdam poſt epulas intus aſſumptis. Cauendum id inprimis ne cibum potus exuperet, aut potum cibus: non ſint actu frigida, non longè diuerſa, nec crudum addatur crudo, Cibus ad potum eſto duplus, panis duplus & ſeſquialter ad oua, triplus ad carnes, quadruplus ad piſces, herbas, fructus humidiores.

Παράδοξον.

Etſi mors in perpetuum euitari non poſſit, poteſt tamen facilitari.

Atq; id quidem ratione duplici, primo quidem & verè facilior, imò iucunda mors redditur ſecurâ tranſactæ vitæ conſcientiâ. Queis etenim terreſtria deſipiunt, cæleſtia anhelantes, iiſdem mors exoptata venit: Hinc D. Paulus, Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. atq; vtinam hac rectè conſiderarent, queis mortis recordatio horrori eſt, eandemq; vitæ ſanctimonia diſcerent contemnere. Sunt dein & alij modi quibus diſſolutio illa corpus inter & animam leuior redditur. Mors enim homini minus moleſta eſt ex ſenio, ut Ariſtoteles inquit, hoc ſolo deterior, quòd antè multa perfert incommoda adeo ſenex. Proxima, quæ ex viperæ cuiuſdam morſu contingit, cuius meminit Plutarchus. Succedit huic quæ ex potu meconij: nam dormientes pereunt, vt & cicutæ potu, quæ tamē perſæpe torquet. Facilior quæ fit dealbatis nuper cubiculi parietibus, accenſiſq; carbonibus cùm quis dormierit. Succedit quæ ſuffocatione in aquis accidit; quæ verò ſanguinis profluuio aduenire ſolet, iuxta finem laborioſa eſt, vt refert Tacitus.

POSITIO DECIMA.

Herbæ & fructus humidiores accipiantur parcè, parcius lac, ac piſces, & vtrumq; cum melle, parciſſimè fungi, atq; cum aromaticis, & ſemine pyri. Quæ humidiora ſunt vel pinguia, aromaticis, acribusq; condito, ne alienum, putridúmue membris inferant humorem, vnde cita poſſit imminere canicies, & pallor, rugoſitasque

ſenilis. Carnes quoque, ſi quotidie comedantur, atque etiam ſi pondere pani propinquent, citam inducunt putrefactionem. Sicciora paulò conueniunt magis quàm humidiora, ſicciſſima, aut vitanda, aut largiore potu temperanda. Humida, vt putrefactioni obnoxia fugienda. Ad frigida nimium, aut nimium calida, cautiſſimus eſto, calida ſimul & humida ſequere.

Quæritur:

Vtrum homo naturaliter poſsit reſuſcitari à mortuis ſolius naturæ opere? N.

Positio Primadecima.

Septima quaque hora alimentis modicis recreeris, corpore ſimul & animo quieſcente, calore vitato. Si ferueat aër, epularum humor calorem ſuperet, ſi frigeat, calor humorem, vtrobique verò modicus ſit exceſſus, vtrobique calor & humor nonnihil glutinatum habeat atq; ſtypticum, vt illinc membris irrigatus humor inhæreat firmius, ac diu ſub calore perduret. Vbi complexio, ætas, locus, tempus ad calidum ſiccúmue labitur, tu quoque pauliſper ad oppoſita declinato, vbi ad frigidum aut humidum, ſimiliter ad contraria vergito: vbi temperies, ſeruato temperiem. Ne incipiat à potu menſa, nec potus ſit ſemel vberior, ſemper ſtypticum aliquid abſq; potu, vel modico, ſequatur cœnam.

Παράδοξον.

Animalia inſecta reſuſcitari poſſunt.

Vt fit in ſubmerſâ muſca, quæ tepidis obruta cineribus, vel calido aſpirata flatu reuiuiſcit. Sic apes ſubmerſæ vitam recipiunt in ſucco nepetæ, & anguillæ aqua deficiente emortuæ, ſi corpore integro exiſtente ponantur ſub fimo in aceto, addito vulturis ſanguine, poſt paucos dies omnes vitæ reſtituuntur. Echineim quoq; ſi quis in fruſta diſcerpſerit, & in mare proiecerit, paulo poſt partes conuenire & reuiuiſcere aiunt. Scimus

quoque

quoque, pelicanum necatos pullos suos reuocare ad vitam proprio sanguine.

POSITIO SECVNDADECIMA.

Epulas condiat frequenter hic puluisculus, cui ea vis inest, vt à putrefactione alimentum quàm diutissimè conseruet. R. myrobal. emblic. ʒ.ij. santalor. omn. ℥ ß. cinnamomi ℥ j. croci ʒ j. Proderit & vsus corallior. santalor. rosar. coriandr. mirobalanor. citoniorum, diacitonites, saccari rosac. quæ sanguinē reddunt meliorem.

Quæritur.

Vtrum plantæ, quæ exaruerunt, reuirescere possint?

POSITIO TERTIADECIMA.

Potus si aqua sit, sit pura, sed parca, vel aquæ incocta sint glizirrhiza, cinnamomum, & alia quę huic conueniunt negotio. Præstat omnibus vinum. Id verò siue album sit, siue rubrum, esto clarum, suaue, stypticum, odoriferum, & quod indigeat aqua: nisi forsan vinum repereris leue, simulatq; durabile, quod rarissimum esse solet. Temperatum sit, quòd habitudinem corporis frigidam calefaciat, refrigeret calefactam, humectet siccam, humidam desiccet, atq; omnino naturalem reparet humorem, calorem foueat, contemperet vtrumq;. Quod si vinum generosius sit calidiori excoctum æstate, ventisq; fauentibus expurgatum, aqua fontis purissimi, prius paulò quàm in usum veniat, quo perfectius alteretur, ac minus noxium sit, contemperetur. Miscendum verò magis iuuenibus, minus ijs senibus, quibus calor adhuc fortior est, minimè verò ijs, quibus calor debilior. Frigida namq; duraq; senectus (vt inquit Plato) ita mero feruet atque mollitur, ut vel igne ferrum, vel aqua lupini. Aquosum verò & debile, vel acerbum, fugiendum omnino, vtpote quod intra venas & membra citius acescat, aut certè alio putrescat modo.

Παράδοξον.

Bruta perfecta ad vitam reuocari possunt.

Sic leones inanimem partum inhalando viuificant, mustela interempta spiritu & voce parentis reuocatur in vitam. Ad animalium autem viuificationem non parum conferunt herbæ quædam & confectiones, quales ex cinere phœnicis & serpentum exuuijs fieri tradunt. Hinc Xanthus historicus narrat herba quadam nomine Bali, occisum Draconis catulum, vitæ restitutum à parente, eademq; Tillonem quendam, quem draco occiderat, resuscitatum. Et Iuba refert, in Arabia herbâ quadam hominem reuocatum ad vitam.

POSITIO QVARTADECIMA.

Absint à cibo ♀, somnus meridianus, vigilia nocturna, labor animi & corporis immodicus, sed exercitationes corporis post primam digestionem sint, ad sudorem quasi productæ. Eatenus tamen exercitationi corporis est addendum, & animi detrahendum, quatenus epulis vescimur durioribus, ad diuturnitatem vitæ aliquando forsan necessarijs. Somnus nocturnus, quia semper est necessarius, semper bonus, diurnus autem, nisi admodum necessarius, nunquam bonus.

SYZITISIS DE RERVM PROPRIETATIBVS OCCVLTIS.

I.

Ad res naturales producendas concurrunt Elementorum materia, qualitates & Forma. à qualitatibus primæ, secundæ à materia, à forma occultæ proficiscuntur facultates. Elementa autem ad compositiones rerum concurrentia triplicia sunt, primo purissima, incorruptibilia, immutabilia & incorporea, non à quibus, sed per quæ omnium naturalium rerum virtutes producuntur in effectum, vt ideæ. Dein pura quidem & nitida, sed corporea, vt cælestia: Demum fæculenta & crassa, vt in inferioribus siue sublunaribus.

POSI-

Positio Qvinctadecima.

Neque id sanè omittendum, vt sæpiusculè primas superfluitates leni medicamento educamus, ne ijs paulatim congestis, noxius congregetur aceruus. Præstabit id tutissimè aloe ritè præparata: Lauetur aloe cum aqua vel succo rosar. aut cum rosis recentibus contritis perfectè misceatur, addantur mirobalani & mastix, seruetur ad vsum: Mirabile medicamentum ad conseruandam mentem sanam in corpore sano. Os quoq; aquâ crebrò colluendum, manus, faciesq; aquâ rosaceâ, pauco mistâ aceto perfundenda, similibusq; odoribus crebrius vtendum, quibus spiritus reficiantur: neq; etiam oberit glizirrhizæ succum aut saccarum candum ore continere.

II.

Ἰδιοσυγκρασίας hasce, siue occultas proprietates ab elementorum qualitatibus Alexander Peripateticus, Plato ab ideis rerum formatricibus: ab intelligentijs Auicennas: Hermes à stellis, à formis rerum specificis Albertus proficisci arbitrantur. Et omnes suo modo veritatem assecuti sunt.

Positio Sextadecima.

Quæ hactenus dicta sunt, calorem insitum spectant, & humidum primogenium. Nunc qua ratione spiritus conseruandi sint & nutriendi, breuibus declarabimus. Verumenimuerò, vt corporea moles non nisi crassa materia coalescere potest; ita sanè spiritus non nisi fumo quodam atq; vapore, imò & aëre ipso enutritur. Hinc teste Auicenna corpus dulcedine, spiritus aromaticitate quadam sustentatur. Aromaticam autem illam qualitatem odoram dicimus, acutam, & quodāmodo stypticam. Proin quoniam iecur quidem corpori per sanguinem alimentum præstat, dulcedine plurimum augetur: cor autem quoniam & creat spiritum, & spiritui

procreat alimentum, meritò desiderat aromatica. Expedit tamen & aromatica pro corde condiri dulcedine, & dulcia pro iecore, aromaticis commisceri, dulcedine interim nimiâ euitatâ.

III.

Multis modis easdem facultates abditas inuestigare possumus. Sic quasdam exploramus per viam à similitudine sumptam. Sic animalia longæua conferunt ad vitam producendam, ad corporis renouationem, & restitutionem iuuentutis, quæ virtute prædita sunt renouatiua. Sic cerebrum prodest ad cerebrum, pulmo ad pulmonem, sic ferunt ranæ dextrum oculum dextro, sinistrum sinistro suspensos è collo natiui caloris panno, lippitudines sanare. cor noctuæ, linguã ranæ aquaticæ cordi dormientis imposita, secreta prodere, & alia infinita.

Positio Septimadecima.

Intereſt igitur profectò quamplurimùm qualem ſpiremus aërem, quales hauriamus odores, talis enim & ſpiritus in nobis euadit. Eatenus autem nos anima per vitã vegetat, quatenus ſpiritus Harmoniam ſeruat cum anima conuenientem. Spiritus itaque inprimis fouendus & conſeruandus, quod fiet aëre electiſſimo, nutrimentis quæ ſanguinem generant euchymum, medicamentis item, ſiue id fiat Theriacâ, hyeme & autumno per ſeptimanam bis, ſemel æſtate & vere ad ℈ j. vel ʒ ß. cum vino claro, vel aqua roſacea pro qualitate temporis & vtentis, aſſumptâ, quibus tamen diebus à calidis abſtinendum, æſtate etiam frigidis vtendum: ſiue aloe in hunc vſum præparatâ, ut R. mirobal. chebul. ʒ ij. emblicor. roſar. purpur. ſantalor. rubr. cinnamom. croci, corticis citri, been, meliſſæ an. ʒ j. aloes lotæ ʒ xij. F. pil. Vtere hieme cum vino, æſtate cum aq. roſarum.

Siue alio denique medicamine, in hunc præparato finem, quale hoc eſt præſtantiſſimum: R. cinnam ʒ. iv. miro-

mirobal. embl. chebul. an ℥ ij. croci, rosar. an.℥.ß. santalor.rubr. ℥ ij. corall. rubr.℥ j. saccari albiss. in aq.rosar. succo citri, vel limon.an.q.s. dissoluti. coq.suauiter. dein adde mosci, ambræ, an.℈ j. F. Morsuli, inuoluantur auro. Singulis confert membris, viribus, & spiritibus, acuit sensus, ingenium excitat, confortat memoriam.

I V.

Per litem item & amicitiam deprehendi possunt, quæ sunt inclinationes quædam naturales rerum in se inuicem, appetendo talem vel talem rem, si absit, & moueri ad illam, nisi impediatur, & acquiescere in adepto: fugiendo contrarium & horrendo proximationem eius, nec quiescere in illo. Hinc fit vt quædam mutuo sibi connubio associentur, & tanquam fœdere deuinciantur, quædam verò sibi ipsis infesta, simultate dissentiant, cæcisq; laborent discordijs: vel horribile aliquod & destructiuum habeant, quòd rationibus vllis & probabilibus nec quæri, nec arctari possunt: nec prudentis erit huiusmodi caussarum aucupio probare, nisi quòd spectaculo eo fuerit Natura ipsa delectata, nec aliquid placuit esse sine pari, & nil esse in Naturæ occultis, quod arcanâ proprietate non vigeat, & peculiari.

POSITIO DVODEVIGESIMA.

Neq; interim suaues intermittendi odores, ij tamen fugiendi si calidiores, vel frigidiores sint, amplexandi mediocres, frigidi calidis, sicci humidis intermiscendi. Conuenientissimi fermè sunt odor vini, panis calentis, & mellis, quibus Democritus iamiam expiraturus spiritum ad quatriduum, ut obsequeretur amicis, vlterius etiam, si modo placuisset, spiritum seruaturus, retinuisse fertur.

V.

Sic magnes attrahit ferrum, smaragdus diuitias & gratiam, taspis partum aproxis herbæ radix à longinquo ignem, palma fœmina sine mare infrugifera est, pauones inter & co-

lumbas amicitia est, feles gaudent nepeta, ad cuius affricationem concipere traduntur.

Positio Vndevicesima.

Quòd si ſpiritus generentur plus iuſto tenebricoſi, ſuauibus ſonis & cantibus corrigendi, tum etiam ſequentibus medicamentis emendandi. ℞. Serici crudi colore coccineo nuper tincti lib. j. infundatur in ſucco pomorum dulcium, ſucco bugloſs. aq. roſar. an. lib. j. per horas XXIV. coquantur dum aqua rubeat. Extrahe ſericum, & diligenter exprime, infunde ſaccari candidiſs. ℥ CL. Coq. rurſum ad conſiſtent. mellis, amoueantur ab igne, adde ambræ ℥ vj. liqueſcat, adde dein hunc puluerem: Rec. Xiloal. cinnam. an. ℥ vj. lapidis lazuli abluti ℥ xiij. vnionum ℥ ij. ☉ veri ℥ j. muſci electi ℥ ſs. F. Elect. datur à ℥ j. ad ℥ ij. ante cibum tribus aut quatuor horis. Vel ſi mauis, licebit parare ſequentia, quæ tantum nutriunt, quantum fouent & roborant, ſpirituique præterea & ingenio tantum ſtabiliendo, quantum acuendo & illuſtrando conueniunt. Rec. ſaccari cocti cum floribus bugloſs. ℥ ij. corticis citri condit. ℥ j. mirobal. chebul. condit. ℥ ij. cinnamom. el. ℥ j. ſantalor. coralliör. ſerici coccinei, croci, margaritar. an ℥. ſs. ☉, ☽ an. ℈ j. ambræ, moſchi an. gr. ij. Infundantur omnia in ſucco citri vel limonis, ſaccaro cocti. Alia confectio, quæ aliquanto ſalubrior, certè multò ſuauior. ℞. amygdalar. dulcium, ℥ iv. nucleor. pineor. ablutor. diei vnius ſpacio, ſem. cucum. an. ℥ j. ſaccari candi ℥ iv. ſaccari albiſſimi lib. j. ſs. infundantur in aq. roſar. limon. & citri, in qua extinctum fuerit ignitum ☉ & ☽. coq. lentè. Demum adde cinnamomi, been rubri, ſantal. rubri, coralli an. ℥ j. margaritar. croci, ſerici coccinei præparati an. ℥ ſs. ☉. ☽. an. gr. xij. hyacinth. ſmaragd. ſaphir. carbunculi an. ℈ j.

Econ-

E conuerso autem Rhabarbarum pellit choleram, smaragdus & vitex libidinis æstum, corallus, atræ bilis illusiones, & ventriculi dolores, adamas magneti adimit trahendi vim, ibidis penna scorpionem reddit immobilem, timent viso gallo leones, & suis grunnitu audito elephas, horret lupum agnus, quæ antipathia etiam post mortem ipsis immanet, coluber nudum hominem timet, quem indutum veste persequitur, oliua à meretrice plantata, vel infructuosa perpetuò manet, vel omnino exarescit. Vitis cùm intortis clauiculis omnia complecti soleat, solam refugit brassicam: nam prope sentiens, in aduersam partem se torquet, vt siquis eam admoneret hostem esse in propinquo, dumq́; coquitur brassica, vinum vel si paucissimum instilles, nec coquitur, nec color ipsius constat. Ipsumq́; olus, quo vitis fugatur, aduersum cyclamino, & origano perarescit, vt vnum vireat, alterum pereat, necesse est: iuxtaq́; consociata sæpe aridæ conspiciantur. Araneus exitiosus est serpenti & bufoni, quos aculeo in frontem adacto interimit. Cancer attactus herba polypodio chelas abijcit.

POSITIO VICESIMA.

Si verò spirituum immineat suffocatio, aut nimia compressio, quod mœror frequens torporq; portēdit, odores circumfusi hauriendi: vbi fugam exhalatione spiritus moliūtur, odores potius nutrimentis infusi assumendi. Conuenientissimi sunt odor vini calidi, odoriferique, saccari, cinnamomi, doronici, anisi, marathri. Et quoties distractio spirituum timetur, calidioribus, acutioribus, & subtilissimis vtendum, quæ cohibere parumper volatum spiritus, ac sistere valeant, vt croco, garioph cinnamom. pane adusto, aq. rosac. aceto rosato, rosa, myrto, viola, santalis, coriandro, pomo citrio & citonio. Mentha recens, menti salutaris, spirituique tutissima, vt & alexipharmaca omnia, non gustu tantùm, sed & odoratu vitæ admodum salutaria sunt.

VII.

Insunt præterea rebus virtutes quædam à tota specie, sic insidiositas & fraudulentia in vulpe, tristitia & melancholia in catto, adulatio in cane, audacia & animositas in leone, timiditas in lepore & agno, rapacitas in lupo, ira in tigride & apro.

POSITIO PRIMAVICESIMA.

Electuarium porrò apprimè spiritibus cōferens, nec odore solum conducens, sed & gustu suaue, atque vitæ inprimis salutiferum: Rec. Mirobal. emblic. chebul. indar. an. ℥. j. doronici ℥. ſs. cinnam. ℥. ij. croci ʒ. j. ambræ moschi an. ℈. j. contundantur, saccari rosat q. s. santali rubri quantum ad colorandum satis est, mellis, emblicarum, vel chebularum quantum sufficit ad consistentiam electuarij, auri folia tot, quot prædictorum unciæ. Vel si prædicta non suppetant, Rec. Mirobal chebul. marathri, saccari aq. rosar. dissoluti q. s. sumantur ieiuno stomacho, & post cœnam.

VIII.

Insunt & suæ proprietates indiuidui dono: sic homo alius caseum horret, alius catti aspectum. Sic dicunt os hominis mortui, qui febre nunquam laborarit, supra patientem suspensum, à febre quartana liberare.

PARS ALTERA.

DE REPARANDA IVVENTVTE.

POSITIO SECVNDAVICESIMA.

ATQVE hæc ferè sunt, quibus eam, quæ præsens est, conseruare possimus Iuuentutem. Venimus nunc ad alteram partē, in qua eius, quæ iam euanuit, recuperandæ rationem tradere mens est. Quod quò priori difficilius est, eo etiam si fiat obscurius mirum non est. Scopi autem in iuuentute restituenda

enda præcipuè hi ſunt:principio quidem calor naturalis reſtaurandus, dein humidum ingenitum, poſtremò ſpiritus reſarciendi,id quod pharmaciâ partim, partim victus ratione conſequemur.

Παράδοξον.

Senex quoad vires & faciei decorem reiuueneſcere poteſt, quoad ſtaturam non poteſt.

POSITIO TERTIAVICESIMA.

Pharmaciam quod ſpectat,ſi reiuueneſcere mens ſit, peregrinos inprimis humores corpori imbibitos expurgare gradatim neceſſum eſt, ſiue id fiat exterioribus frictionibus,lauacris, ſudoremq; prouocantibus, interea ſalubribus,duraturisq; alimentis paulatim corpori nouum & benigniorem ſuccum ſuggerentibus adhibitis: ſiue medicamentis competentibus intro aſſumptis.

IX.

Eæ verò facultates quibuſdam ſecundùm totam ſubſtantiam, quibuſdam verò certis immorantur particulis. Secundum totum quidem piſciculus ille echineis ſolo tactu nauem ſiſtit, & vmbra hyenæ contactu canes obmuteſcunt. Secundum aliquas verò partes, ſiue lingua ſit, ſiue oculi, ſiue alia membra. Sic oculis baſiliſci violentiſſima ineſt vis occidendi homines, ſic & Telchines Rhodi populi dicuntur fuiſſe, qui omnia aſpectu ſuo in peius commutabant. Sic cor vpupæ formicas fugat, non pedes non oculi, fel caprarũ vaſe æneo in terram concluſum, ranas congregat. Sic oſſiculo illo, quod Arabes Albadaram vocant, vtrum tanquam planta ex ſemine in reſurrectione mortuorum corpus noſtrum animale repullulaſcet, Theologis diſceptandum relinquo. D. D F. Platerus & C. Bauhinus, Promotor & Præceptores mei obſeruandiſſimi in operibus ſuis anatomicis.

POSITIO QVARTAVICESIMA.

Purgant humores veteres, putridosque trochiſci de

vipera, helleborus itẽ præparatus. Qui cautiores sunt, helleboro gallinas pascunt, hominem verò gallinis. Quòd si diæta non sufficit, clystere, vel manna, vel aloe lota securus vteris. Si aluus adstrictior sit, manna cum iure caponis, mirobalanisque, sin minus, hac te iuuenẽ etiam in senectute purgatione seruabis: Rec. aloes lotæ ℥ j. mirobal. emblic. chebul. rosar. rubr. masticis an. ʒ. ij. cum vino maluatico f. pil. Si magis te bilis, Rhabarbarum, agarici verò trochiscos, vbi pituita infestat, cum aloe iungas. Sumantur in aurora iv. vel v. pilulæ.

X.

Nec id omnino prætereundum quasdam proprietates rebus in vita tantummodo inesse, quæ pereunte vitâ, simul euanescunt: sic cor mustelæ, talpæ, hirundinis, vel vpupæ, viuenti ereptum, calens adhuc & palpitans deuoratum, memoriam, intellectum, & diuinationem conferre creditur.

POSITIO QVINTAVICESIMA.

Confectionem si poscas, cæteris hæc præstare videtur: Rec. mirobal. emblic. belliric. indar. chebul. an. ℥. j. cinnamom. ℥. ij. doronici, rosar. rubrar. an. ℥ j. santali rubri ℥. ij croci ʒ. j. moschi, ambræ, an. ℈. j. saccari tabarzet, succo citri, & aq. rosar. dissolut. q. s. coq. f. Boli, auroq; inuoluantur. Sumantur horis quatuor ante prandium. Vires mirabiliter restituit, & corroborat, illustrat spiritus & firmat. Proderit & sæpe calefactum panem, generoso vino & aqua rosacea perfundere, & modico insuper cinnamomo saccaroque vberiore condire. Quin & sæpiusculè cum amygdalino miscenda lacte, & modico pane. Huc referendum quoque medicamentum ad restituendam iuuentutem descriptũ ab Alexio Pedemontano, initio secretorum suorum.

XI.

Sunt tamen & alia, quæ etiam post mortem permanent constantes:

ſtantes: ſic aquilæ pennæ aliarum auium pennas deſtruunt & corrodunt, leonis pelles omnes alias conſumit. Sic tympanum ex pelle lupi confectum facit obmuteſcere tympanum factum ex pelle agni. Et ſi ex vrſi & equi, vel lupi & agni inteſtinis chordæ in lyris tendantur obſtrepent, nec temperamẽtum vnquam efficient. Et veſtimenta ex lana ſiue ex pellibus agninis, lupi morſu violatis confecta, incredibilem pediculorum procreant multitudinem: quod factum fuerit tympanum ex pelle ericij marini, procul omnia fugat reptilia: & fides ex inteſtinis lupi, fidibus ex ouium inteſtinis ſonum intercipiunt.

POSITIO SEXTAVICESIMA.

Quòd ſi arbor humana areſacto paulatim humore tabeſcere videatur, tum primum humano, iuueniliq́ue liquore irriganda, quo reuireſcat citius. Ad id inprimis conducet creſcente luna famelicum puellæ ſanguineæ & ſanæ, lactantis puellum, natiuo lac tepidum calore haurire, cum modico dulcis marathri puluiſculo, ſaccaro ritè permixto. Nam ſic nec ſaccharum in vẽtre lac cogi, aut putreſieri permittet, marathrum verò lacti amicum, dilatabit ad membra. Idem præſtabũt panaceæ ex ſanguine humano chymicè deſtillato, nam ſuctio ipſius ſanguinis ex venis, nauſeabunda eſt, & crudelis videri poſſet: niſi coctum malis cum ſaccaro, vel quod optimum, deſtillatũ cum ſaccaro. Quin proderit etiam ſtomachum ſanguine ſuillo ſpongiæ imbibito, ex ſue adhuc calente, fouere.

XII.

Conſtat porrò ex influxu corporum cæleſtium multas inferioribus, eaſq́; reconditas indi facultates, ad quas inueſtigandas plurimum proderit cognoſcere cuinam ſtellæ, vel ſigno cæleſti quodlibet ſubſit: id quod perarduum eſt, & coniecturâ magis, quàm arte conſequimur. Præbent tamen nobis indicia res ipſæ, vel per imitationem radiorum, vel motus, vel figuræ ſupe-

D

riorum: quædam etiam per colores & odores, quædam per suarum operationum effectus quibusdam stellis consonantes. Quæ omnia breuiter exemplis quibusdam declarabimus.

POSITIO SEPTIMAVICESIMA.

Facile verò in tota corporis arbore seruabis humorem, si in radicibus conseruaris. Accipe igitur gallinarum, pullorum, vel caponum, cor, iecur, stomachum, testiculos, & cerebellum, coq. in aqua modica, minimo sale. Cocta contunde ex tota carne & toto iure & saccaro, addito recentis oui vitello. Fiat placenta, modico cinnamomo, crocoq; condita, & aurata. Vtere esuriens semel in die, claro ad potum addito vino.

XIII.

Solaria sunt heliotropium, sponsa solis seu calendala ratione motus, lotos, quæ oriente sole folia explicat, occidente verò contrahit: pæonia, chelidonia, citraria, zinziber, gentiana, dictamnus, verbena præstans vaticinium, laurus puluillo supposita verificans somnia, cedrus, palma, hedera, vitis, crocus, amaracus, libanotis, quæ ferè cordiales sunt herbæ. Sic olea, salix, tilia, vlmus, & populus alba, quæ frondes obuertendo, solstitium ostendunt.

POSITIO DVODETRICESIMA.

Mirum verò quantum senibus Marathrum sit profuturum. nam nutrimēta per membra diffundit, & qua facultate lac, eadem humorem auget naturalem Vnde Dioscorides ait Marathro serpentes annuam exuere senectutem. Nec suâ laude frustranda saluia quæ naturæ virtutem temperatè calefacit, & firmat, paralysin propulsat. Conducit & plurimum Zingiber conditum, cui calor est cum pinguedine, & pinguedo illa humori nostro attemperata.

XIV.

Lunaria sunt selenotropion, quæ ad lunam vertitur, vt heliotropium

liotropium ad solem, palma arbor ad singulos lunæ ortus, singulos emittens ramos, oliua, chinostares, quæ substantia, & foliorum numero cum luna crescit & decrescit, anäthe, dictamnus, lilium conuallium, lilium candidum, item quæ plenum orbem lunæ repræsentant vt chamemeli genera. Quæ omnes cerebrum roborare existimantur, participatione quadam virtutũ lunaris.

POSITIO VNDETRICESIMA.

Quæ cor spectant, & spiritus absumptos renouant, hæc ferè sunt, quæ aromaticam quandam vim obtinẽt, vt sunt mirobalani, zedoar xyloal cortices citri, gariophyl. cinnamom. nux muscata, zinziber conditum, moscus, ambra, aurum, ☾. corallum, spodium, margaritę, & gemmæ aliæ, quæ præter aromaticitatem afferunt vim illustrandi. Sic mirobalani hisce præcipuè præditæ sunt viribus: superfluum exiccant humorem, vnde canitiem prohibent, humorem verò naturalẽ colligunt, & à corruptione, & inflãmatione conseruant, vnde vitam prolongant, styptica demum aromaticaq; facultate virtutem & spiritum naturalem, vitalem, & animalem congregant, fouent, roborant.

X V.

Saturnalia sunt asphodelus, serpentaria, ruta, ciminum, helleborus, sylphium, mandragora, opium, ficus atra, cupressus, apium.

POSITIO TRICESIMA.

Aromatica verò ad reparandas vires maximè conueniunt, quæ humida sunt, calida, & pingui quodam lentore prædita, vt sunt radices been vtræq; recentes. Aut quando cum virtute quadam subtili & odoriferâ, acutâque, substãtiam habent densam, & stipticam proprietatem, vt mirobalani, succinum, rosæ, succus & semen citri, santali, coriandrum, myrtus, &c.

XVI.

Iouialia sunt barba Iouis, ocimum, buglossa, macis, spica, men tha, enula, viola, lolium, hiosciamus, populus, quercus, mirobalani, Rheum barbarum, manna.

POSITIO PRIMATRICESIMA.

Cordialia calida sunt zedoaria, xyloal. cortic. citri. garyoph. nux moscata, macis, olibanum, mastix, doronicū, saluia. Zinziber maxumè prodest ob pinguem humiditatem, humido radicali perquam simillimam. Ambra & moscus calore temperata, lentore, & styptica subtilitate prædita appropriata sunt ad vitam in membris & spiritibus confirmandam: quin & aqua ex iisdem destillata, quartam restituit concoctionem, & noxas inde erumpentes corrigit.

XVII.

Martialia sunt elleborus, allium, euforbium, raphanus, laureola, napellus, scammonia, vrtica, flammula, & quæ aut spinis munitæ sunt, aut contactu suo cutem vrunt, & quæ comesta lacrumas excutiunt, vt cepa, porrum, synapi, castorium.

POSITIO SECVNDATRICESIMA.

Calida porrò & tenuia cardiaca sunt cinnamomum, & crocus, quæ sanè ne naturalem calorem nimis excitent, humoremq; dissoluant, frigidis & durioribus miscenda sunt, quibus vehiculi loco addenda sunt. Vnde quoniam humor naturalis maximè viget in corde & arterijs, vt cordialia omnia per angustos meatus ad præcordia latissimè perferantur, his crocum insere, vt verò ibidem sistantur, mirobalanos adhibe, vt vtrunque consequaris, inter calida moscum & ambram, inter frigida rosas & myrtum sume.

XIIX.

Venerea sunt verbena, viola, capillus veneris, valeriana, thymus, coriandrum.

POSI-

Positio Tertiatricesima.

Aurum omnium rerũ temperatiſſimum, & à corruptione tutiſſimum, calorem naturalem cum humore mirificè temperat, humores à corruptione tutatur. Id quò faciliu· à corde attrahatur, vel ſubtiliſſimum fiat, vel cum ſubtiliſſimis eſt exhibendum. Optimum erit, ſi abſq; alienâ permixtione aurũ fiat potabile, ſin minus poſſit, cõtuſum & in folia redactũ volũt exhiberi. Aurũ fermè potabile ſic habebis. R. Florum borrag. bugloſſ. meliſſæ, ☽ in ♌ vel ♄ vel ♃ cum benigno aſpectu ♃ vel ☉, coquãtur cum ſaccaro aqua roſar. diſſoluto, & pro qualibet vncia inſere auri folia tria, ſume ieiuno ventriculo. Vel aqua caponis cum iulep roſato & folijs auri, & vnà cum eiuſmodi potu recentem comedito oui vitellum. Lullius ſolo Philoſophorum cœlo ſenibus intra paucos dies florem adoleſcentiæ reſtituit: imò iam morti etiam proxumos ſua E. Q. cum magiſterio chelidoniæ ad vitam reuocare ſeſe pollicetur.

XIX.

Mercurialia ſunt pentaphyllon, mercurialis, fumaria, pimpinella, maiorana, petroſelinum.

Positio Qvartatricesima.

Hæc ferè ſunt, quibus virium robur reſtaurari poteſt: Quòd ſi iuuenilem faciei ſenex exoptet nitorem, hiſce eum medicamentis fácilè conſequetur: R. Carnis vitulinæ lib.ij. columbar. pullos num.ij. ſemin. cataput. à corticibus mundator. ℥ iv. Pineor. amygdal. dulcium, amarar. radic. lilior. albor. cæruleor. Fabar. contuſar. & mundatar. Fellis bubuli, rad. ſerpentariæ, fraxinell. an. q. ſ. limonium vnum purgatum & inciſum, Gũmi ammoniac. in aceto diſſolut. flor. liguſtri an. q ſ. Miſceantur, deſtillentur igne lento, appoſito ad odorem conciliandum aliquantum moſchi, & belzoini. ſeruetur ad

vſum. Si candorem mauult rubicundum,aliquantum addat alcannæ,vel rubeæ tinctorū,vel praſſilij. Si frons rugoſior ſit, ſtillatitio corriget liquore, qui ex albuminibus ouorum emanabit,aut radice cucumeris aſinini puluerifata & cum roſacea miſta, aut brioniæ radicis ſucco ſimiliter aqua roſacea permixto faciei inuncto. Hiſce ſenes & ſimilibus medicamentis faciei perfacilè corrigent incōmoda, id tamen eos meminiſſe velim,vt cùm corpori exornādo impertiuntur operam,caueant ne animam corpore plus millies præſtantiorem, & IESV CHRISTI Mediatoris noſtri & Seruatoris Sanguine emundatam, deturpent,imò diabolo præparent. Id id eſt quod ipſos meminiſſe velim.

X X.

Subſunt & aſteriſmis certa quædam,ſic arieti ſubeſſe aſparagos teſtatur experientia, & baſilicon ſcorpioni: Nam ſeminata raſura cornu arietis, naſcuntur aſparagi, & baſilicon contritum inter duos lapides gignit ſcorpiones.

POSITIO QVINTATRICESIMA.

Qui ſeptimum iam ſeptenarium impleuerunt,quinquageſimum agentes annum, vitent inprimis æſtum, gelu, nebulas, ventos vel ex palude flantes, vel irrumpentes ex anguſtis locis, atque vbi aer vel mouetur violentius,vel nullo mouetur modo Habitatio humidior non ſit, ſit ſine fœtore. Hyeme velut oues aprica petāt, æſtate velut apes amœna reuiſent,frequenter virenteis inter verſentur plantas,& ſuaue redolentes, nec parum fortaſſis proderit, verſari cum ſanis, atque ijs quidem, qui tibi naturâ ſimillimi ſunt, paulò potius iunioribus, quàm ætate profectiori.

X X I.

Habent & plantæ, omnesq; res naturales ſuas à natura ſignaturas impreſſas, vnde occultas earum proprietates æſtimare ac

re ac dijudicare vtplurimum licet. Sic plantæ quæ animalia repræsentant, aut animalium partes, ad morbos cõducent propellendos, qui ab ipsis animalibus suboriri possunt.

POSITIO SEXTATRICESIMA.

Corpus totum mane leuiter perfricetur, deliniaturq; aduersum aeris & laboris incommoda calẽte oleo, vel vino quopiam subamaro, cui prius infusa sint myrrha, rosa, myrthus. Saluia frequenter ore geratur, neruis ac dentibus amicissima. Ignis vsus sit vt medicina, quantum scilicet expellendi frigoris, & suscitandi caloris innati necessitas postulat, alioquin tanquam edax humorem naturalẽ exiccaturus vitetur. Sol quoad delectat, admittatur vt alimentum.

XXII.

Sic serpentaria maior, quæ serpentẽ repræsentat, Rhamnus, aut spina alba, in qua acutæ spinæ habent similitudinem dentium serpentis, morsum serpentis persanant. Orchis myodis apum ictibus confert, psyllij semen, quod pulicem ementitur, eosdem fugat, quæ caudam scorpij repræsentant, vt scorpioidis varia genera, scorpionum plagis aduersantur.

POSITIO SEPTIMATRICESIMA.

Cibum quod spectat, id inprimis decrepitos meminisse expedit, naturam debilem nutrimentorum pondere non esse fatigãdam, aut epularum diuersitate distrahendam. Nam & iuuenilis ætas hoc vitio fit citò senilis. Sit igitur mensa frequentior potius quàm copiosior, nec tam multâ naturam alimoniâ, quàm frequenti reficiant, interuallo tamen interim ad digestionem concesso.

XXIII.

Plantæ quæ oculos referũt, ijsdem salubres sunt vt Euphrasia: quæ vterum referunt ad partum valent, vt aristolochia, cyclamen. quæ vesicam referunt, eiusdem conducunt affecti-

bus, vt Solanum, Halicacabum, staphylodendron seu nux vesicaria. Quæ lienem exprimunt, eiusdem medentur malis, sic asplenum, hadera. Iecur ostendentes, iecori adhibentur, vt lichen, hepatica. Fumaria lienaris æquè ac iecoralis planta est, quòd radice scirrhosa vtrumq; viscus referat.

POSITIO DVODEQVADRAGESIMA.

Eum itaq; omnino seruent cibũ, ex quo sanguinem plurimum, spiritumq; quàm copiosissimũ consequantur. Proderunt vitelli ouorum recentes, & vinum aliquantulum dulce & plurimum odoriferum: Vinum nempe spiritus, vitellus cordis recreat sanguinem. Carnibus vtatur electissimis, & coctu facillimis, atq; in vniuersum, diætã sequantur calidum pariter & humidum adaugente. Quòd si, vt non rarenter fit, ventriculo sint ad frigidum propensiore, fiat eiusdem fomentatio ex medulla panis adhuc calentis infuso maluatico vino cum puluere menthæ.

XXIV.

Quæ pulmones repræsentãt, pulmonibus non inutiliter adhibentur: vt pulmonaria, quæ arborum trunci, instar fungi, aut musci, seu potius integumenti alicuius adhæret, Cynoglossum item, & symphitum maculosum.

POSITIO VNDEQVADRAGESIMA.

Inter cætera maximè conueniunt, mel quidem senibus inprimis amicum, nisi vbi bilis timetur incendium. Amicus caseus recentissimus, amici dactyli, ficus, passulæ, cappares, dulcia punica, zizipha, hyssopus, scabiosa, betonica, sed pistacea multò magis, pinei verò nuclei maximè omnium, præsertim si priùs horis aliquot in aqua tepida macerati fuerint, sic enim stomacho minus nocebunt, indies post cibũ sumant, calidum enim est nutrimentum, humidum & pingue, & quod mirum est, dum humorẽ auget naturalem, interea superfluum deliccat,

deſiccat, putridumque expurgat. Conueniet item apprimè electuarium hoc: Rec. Amygdal. dulc. mundat. nucleor. pineor. an ℥ iv. piſtacior. ℥ ij. ſem. cucum. nucum auellanar. an ℥ j. contundantur, adde zinzib. recentis conditi ʒ j. croci, moſchi, ambræ an. ʒ ſs. ſaccari in aq. meliſſæ & roſar. q. ſ. auri folia q. ſ.

XXV.

Quæ cordis figuram imitantur cordialia ſunt, vt Halicacabum peregrinum, quod piſum corde ſignatum, veſicâ pericardium referente includitur: malum citrium, fructus anacardi, radices anthoræ, nardus, meliſſophillon, quod folium habet cordis circumſcriptione, mirificè cordis affectibus conferunt, vt & Cardiaca, myrobalani, cydonia mala.

POSITIO QVADRAGESIMA.

Et hæc cò magis conducent, ſi inter pineta, olineta, & vites verſeris, aut lacruma pini cum oleo vel vino corpus ſæpiuſculè inungas. Probabile eſt etenim, arbores longâ naturaliter dotatas vitâ, præſertim ſi & hyeme vireſcant, ad longam tibi vitam vmbrâ, vapore, nouo fructu, ligno, & tempeſtiuo quolibet vſu prodeſſe, ſicut & animalia quædam vitæ diuturnioris.

XXVI.

Hæ ſunt quæ internas figurant partes, ſed & externis multas etiam aſſimilatas videmus. Sic capitata, ſunt, quarum pars quædam in capitis figuram extuberat, vt ſcylla, quam iccirco ad epilepſiam commendant, cuius etiam ſpecificum eſt pæoniæ flos, qui antequam excludatur, cranium cum ſuis commiſſuris repræſentat.

POSITIO PRIMAQVADRAGESIMA.

Inediam, ſitim, vigilias, labores animi & corporis, mœroreſq; diligentiſſimè euitent. Faciles tamen motus diligantur, excitando calori admodum neceſſarij. Frictionibus vtantur lenibus, quin & lauacris nonnun-

quam nutrimenta ad exteriora reuocātibus. Musicam etiam, si intermissa fuit, repetant, & quæcunq; ad moderandam animi cum corpore symmetriam conducere videbuntur, nullatenus intermittant.

XXVII.

Dentibus similes sunt nuclei pinei, radix item Dentariæ, quæ ambo dentibus prosunt. Quæ articulos, nodos aut tophos exprimunt, ad podagram, chiragram, gonagram, omnemq́; arthritidem valent.

POSITIO SECVNDA QVADRAGESIMA.

Quæritur hoc loco Vtrum Venus, an animi labores plus vitæ noceant? Pro quo breuiter aduertendum, quinque esse voluptates puras, perpetuas, salutaresque ad spiritus innouandos atque recreandos, quarum infima in olfactu, superior in auditu, sublimior in aspectu, eminentior in imaginatione, in ratione excellior atque diuinior, quæ quò maiores sunt, tantò fila vitæ longiora producunt. Sicut autem in tangendi atq; gustandi blandimentis cauenda est subdola Venus: ita in ipsa secretiore, nimisq; assidua contemplatione mentis delectatione à Saturno sibi prospiciendum. Illic enim non rarenter filios ipse suos deuorat. Nam quos sublimiorum contemplationum suarum rapit illecebris, atque illic agnoscit vt suos, interim (si modò diutius gradum sistant ibidem) falce suâ è terris amputat, terrenamque incautis vitam sæpiusculè surripit. Hoc saltem Venere interim indulgentior, quòd hæc quidem vitam, quam tibi detrahit, donat alteri, nihil tibi pro detrimento restituens, quippe quæ noua semper affectat, odit vetera, facta destruit, vnde destruat facienda, & speciei potius quàm indiuiduo suffragatur: Saturnus autem pro vita terrenâ, à qua separatus ipse, te deniq; separat, cœlestem vitam reddit, atque sempiternam.

Pingues

XXIIX.

Pingues plantæ ad impinguandum, vt oleosæ arbores omnes, & oleosum fructum proferentes: Nux iuglans, auellana, amygdalus, nuclei pini.

POSITIO TERTIAQVADRAGESIMA.

Saturnus igitur veneri aduersus, suam in centro, illa suam in circumferentia posuit voluptatem. Voluptas verò spirituum esca quædam est, & inuiscatio, quâ ille eosdem ad centrum coarctat, vt membra exteriora vitæ minus idonea sint, tandemque velut ignem cineribus adobruit & suffocat: illa verò ad extima euocat, vt intima vel vacua, vel vitæ sint aliena, atq; demum velut flāmam ventis dissipatam, difflat & exterminat, adeoq; sic citam senectutem interioribus Venus, exterioribus Saturnus important, & vitam ipsam celeriter adobruunt & expugnant.

XXIX.

Macilentæ corpora pinguia emacerant, vt salsa parilla. Carnosæ carnem gignunt & augent; vt bulbi, caules. Vertebrales herbæ, vt cyperi, & iunci genera diuersa, præsertim odorata, vertebrarum affectibus prosunt. Neruosæ neruis & cartilaginibus, sic linum, cannabis, contractos neruos emolliunt.

POSITIO QVARTAQVADRAGESIMA.

At verò grauius multò, citiusque eos Saturnus lædit, quos tædio, torpore, mœrore, curis premit, quàm quos supra vires corporis, moresque mortalium eleuat ad excelsa. Nocet tamen tardius Saturnus, tempusque remedijs negat nulli, quin sæpius vultu tantùm se profitetur hostem: sola Venus palam vt amica venit, clam vt inimica venit. Memores itaque communis dicterij: *Ne quid nimis*, assiduis prudentiæ frenis parturientis vtriusque libidinem retrahite & cohibete.

XXX.

Plantæ lactuosæ, aliæ lactis promouent generationem, vt lactuca, amygdalæ, ficus. Quæ serosæ magis sunt, aquam purgant intercutem, ut Tithymali, lathyris, Tymelæa, scammoneum. quæ lac cogunt in caseum, genituræ prosunt, vt galion, articocus, & semina lactuosa; contrà quæ in lac immersa, eiusdem impediunt congelationem, huic negotio non conueniunt, quin potius lac in mammis concretum applicata dissoluunt, testantur id ruta per se vel cum aceto tusa, vel cyminum applicata, intra paucas horas lactis prouentum arcentia.

POSITIO QVINCTAQVADRAGESIMA.

Spiritus qua ratione reparandi, ex suprà dictis satis elucere arbitramur, paucula heîc, quæ ibi vel omissa sunt, vel non satis congruebant, reperenda duximus. In id autem præcipuè incumbendum, vt spiritus subtilissimus sit, atque etiam interea firmus. Sit omnino lucidus, sed & suo modo solidus, ideoque rebus assiduò fouendus odoriferis, firmis lucidis.

XXXI.

Nec partes tantùm plantarum, sed ipsi quoque colores partium suas quoque signaturas habent, atque ex diuersis plantarum coloribus non immeritò diuersarum virium coniecturæ & indicia sumuntur. Sic albis floribus plantæ præditæ vtplurimum ad pituitosos conducunt morbos, vt brionia, lilium conuallium. Flaui coloris vel succi ad bilem, vt Rhabarbarum, Rhapontic. Chelidonia ictero medetur. quæ decoctum reddunt sanguineum, eadem non parum sanguinē mundificant, vt radix china, Filicis, agrimonia, chamædris, acetosa. Misti plantarum colores mistos humores trahere putantur. Quæ omnia enucleatius persequi, instituta breuitas nobis hoc loco vetat.

Motus

Motus ſpiritus duplex eſt,ad centrum, & ad circumferentiam,ideoq; non dilatandus ſolum, ſed & congregandus eſt. Id præſtabit frequentior viridium rerum aſpectus,ea enim inter alba(quæ nimium dilatanr)& nigra(quę plus iuſto congregant,vt inde etiam ſuffocent) media ſunt, adeoque illuminando æquè congregant ſpiritum,atque dilatent. Eoq; id magis conſequemur, ſi non picturas ſolum,ſed & virenteis inter verſemur herbas. Herbarum etenim natura quatenus virent,non viua ſolum eſt,verum iuuenilis etiam, humoreq; prorſus ſalubri & viuido quodam ſpiritu redundans,vt inde ſufficiēter conſtet,odore,viſu,vſu,habitatione frequenti iuuenilem inde ſpiritum nobis influere.

Epimetron ſyzutiſeos de occultis proprietatibus rerum naturalium.

Ea res, in quibus minus immergitur idea materiæ, id eſt, quæ ſeparatorum maiorem accipiunt ſimilitudinem, virtutes habent potentiores in operatione, ſimiles operationi ſeparatæ.

POSITIO SEPTIMAQVADRAGESIMA.

Eodem modo vitalem ſpiritum extendunt, dilatant, & illuminant aromatica ſubtilia & acuta, vt crocus cinnamomum. Congregant vero ſtyptica, vt myrobalani, vtrumq; præſtant quæ abſque acumine aromatico, aliquanro dilatant,atq; admodum congregant, multumque illuminant, vt ☉, ☽, ſpodium, corallus ſericum, electrum, gemmæ, & præcipuè hyacinthus vel ore detentus ob louialem temperiem plurimum comprobatur. Cæterum, quæ hîc breuitatis causâ ſuccinctius perſequimur, ex prædictis intelligi queunt.

Πάρεργον.

Sexus maſculini in fœmineum tranſmutatio φυσικῶς fieri

nequit. Fœminæ verò quædam ante peperere matres, quæ post patres facti genuere, Theodor. Zuinger. Del Rio. Mizaldus & alij.

POSITIO DVODEQVINQVAGESIMA.

Neque id prętereundum censemus annorum decretoriorum pericula non omnino esse contemnenda. De his enim diligenter consulendi astrologi, vnde emineat discrimen, ediscendum, & dein vel Medicus adeundus, vel prudentia & temperantia accersenda. His namque remedijs prohiberi minas astrorum Ptolomæus etiam confitetur. Addit quinetiam astrorum promissa sic augeri posse, vt agrorum cultor auget terræ virtutem.

Problema.

Vtrum sint astris in inferiora suæ actiones?

POSITIO VNDEQVINQVAGESIMA.

Quod præterea Ptolomæus, & cæteri astrologiæ & Sophiæ professores in imaginibus quibusdam ex certis lapidibus & metallis sub certa syderis constitutione fabricatis, vitam prosperam pollicentur, atq; diuturnam, vt non improbamus, sic non approbamus, ipsorũ committimus fidei.

AEQVAMENTVM.

Vtrum certis imaginibus astrorum influentiæ allici possint?

COROLLARIVM.

Rectè æquus Iuppiter Pythagoram docuit & Platonem, humanam vitam in quadam æquali animæ ipsius cum corpore proportione seruari, vtrimq; suis quibusdam alimentis & exercitationibus ali, ac similiter augeri: Ideoque quicunque inter res medicorum eas potissimum eligit, quæ corpori simul & ingenio prosunt, maximum vitæ sibi vendicat alimentum.

POSI-

POSITIONES CHEIRVRGICAE.

I.

Hysterotomia, seu Partus cæsareus, vrgente periculo, tentatis prius, & nihil proficientibus cæteris remedijs, non solum absq; vitæ matris, & fætus discrimine, sed & absque metu aliorum symptomatum grauiorum superuenientium, modo cætera se ritè habeant, vsurpari potest.

II.

Membra gangręnosa in parte sana abscindenda sunt, si gangręna humorum copiam & putredinem sequatur: in emortuâ verò, ita vt aliquid carnis corruptæ relinquatur, si occasione vulneris superueniat.

III.

Cancri inueterati non prorsus sunt incurabiles. Curantur enim interdum ferro candente, interdum androsæmo maiore Dodonæi.

IV.

Venæ sectio peste laborantibus adhibita, non rarenter qualitati veneficæ viam ad cor præparat.

V.

Quædam vulnera ſpacio naturalis diei perfectè ſanari poſſunt.

VI.

Vnguento ſtellato vulnerati curantur vel ex ſuperſtitione vel ex confidentia, ſiue imaginatione, vel naturaliter per ſympathiam aliquam.

Quæritur:

Vtrum vulnus ſolo verbo induci poſſit? N.

Omnia melius ſentientium iudicio ſubiecta ſunto.

AD DEI GLORIAM.

APOL.





APOLLINI SACRATVM
IN
HONOREM ET DOCTRINAM
Morum elegantiâ, Rerumq; Peritiâ PræstantiS. Viri. Iuuenis
Domini IANI VVOL-GANGI KRAPFFI MOGVNT.
Art. & Phil. Doct. Pro summâ artis Machaoniæ
Laureâ decertaturo, atq; à summo Medico Inclytæ vrbis Basileensis
Archiatro Præceptore
generali

D. D. FELICE PLATERO
coronando

Carmina ab Amicis & Dn. Fauitoribus boni
ominis ergo decantata.

Epigramma.

Hippolitum Stygiis Epidaurius extulit vmbris
Et Medicæ primus prodidit artis opem.
Diminui patitur Pluto sua regna molestè &
Pæona fraterno fulmine transadigit.
Te senibus, jactas, juvenileis reddere sensus
KRAPFI, te pueris addere mille dies
Num metuis tetrici furiosa molimina MOMI?
Invidiæ, curo, fulmina stulta, nihil.

Veri amoris ergô D. fr. & commens. suo amantissimo in
Augusto Rauracorum Licæo II.
Kal. Maji.

Iusit

Paulus Cholossius Lunæus Bohemus.

LL. studiosus.

Ad eundem.

Ode NEMORALIS Dicolos diſtrophos.

S*INGVLA* tempus habent, *vulgi ſententia trita,*
Ordine quodq; venit.
Ver rediјt, iam ſylva viret, iam vinea frondet,
Nunc volucres redeunt.
Floret ager, rident herbæ, nemus omne vireſcit,
Gramina rore virent.
Purpureas paſsim violas, & candida paſsim
Lilia prata duunt.
Omnia nunc rident, nunc eſt pulcherrimus annus.
Germine floret humus.
Omne bonum omnis amor per ſe ſuſpirat & ardet.
Quælibet hora ſapit.
Alta volunt Magni, non ſpirant vilia ſummi
Sed Generoſa petunt.
Nitimur ad multum, *cupientes Præmia magna,*
Omnibus iſtud opus.
Carpere quæ bona ſunt ſtudio *nos tendimus omni*
Omnibus iſte Labor.
Aſpera ſed ſemper via, numquam ſcandere dulce
Quandib. eſſe ſolet.
Difficile eſt pulcrum, *non dantur munera gratis*
Nec petiјſſe ſatis.
Fortiter inſiſtet, nitendum quiſquis amabit
Palmula dona dabit.
Eximiâ VIRTVTE clues WOLGANGE *diſerte*
Aurea facta probant.
Tempora num FELIX cinget tĩ docta PLATERVS?
Ambitioſus Honos!
Felix illa dies alboq; notanda lapillo,
Purpurea iſta dies!

Certa

Certa Quies, tandem ſupremam tangere metam
Inde Laboris erit.
Segniter haut tractans WOLFGANGUS *munia Phœbi*
Munera grata capit.
Eſt Virtutis opus nos Famam extendere Factis,
Laurea parta viret.
Sit Felix, ſit Fauſtus HONOR, *ſit* GLORIA *durans,*
Talia grator. AMEN.

Duodecaſtich.

Numne inferre cupis Naturæ vim, Meditrinam
Tollere vel magnis queis potis uſque modis.
Vita brevis quanvis Homini ſit lege tributa,
Caſib. & variis præcipitata ruat,
Arte tamen multum præſtemus Themata dedunt,
Doctrinâ profers quæ benè docta, ſagax.
KRAPFI *debetur Tibi (ſi fas dicere)* FANUM
Auguror? affectas nomen habere DEI,
Multa movens, livore virens, nil Phaſmata curans
Irrita. quod perdant, non puto, Fata viam.
InſerVIre DeCet nos teMpore. DIgna trophæa
LIbabVnt oLIM. ſin ſibi quuq; ſapit.

Propempt.

MUSARUM *Phœbiq; potens & Amice, merenti*
Laurigerò KRAPFI, *Fronde triumphus eat!*
Imponet laurum perituram tempore nullo
FELIX *felici ſydere natus, ovans.*
(Rarus HONOS *ſummo ſe præſide poſſe tueri*
Rarior à ſummo PRAESIDE *poſſe legi.)*

Rauriacis *cùm ſis nunc diſceſſurus ab oris,*
Incolumem patriјs restituatq́; focis
Te DEUS *ut ducat, devotâ mente precamur,*
Quò tua te VIRTUS *incluta nempè vocat.*

p. in Perp. Memnoſynes arrham L.

BENEDICTUS COCCIUS
BASILIENS.
Apollonius.



Eidem.

D*Ecrepitæ renovare probas quum fila ſenectæ*
JANE, *citum & mortis vertere poſſe gradum:*
Hoc verbis dicis: Quid ſi tibi fata dediſſent
Re præſtare illud, quis DEUS *eſſe velis?*

JOANNES EMBERISA CHOTIEBORZENUS
Bohemus, Medic. ſtudioſus

φιλίας ἕνεκα fratri & commenſali
ſuo poſuit.



